

ipsius naturæ stimulis duceretur. Sic nemo est qui improbet factum Israelitarum, quod Benjaminitarum conjugia raptis Silohitarum filiabus auxerint: b) negaverant nimirum postulas, quare non datas auferebant. Ea autem omnia ad Mulierum penuriam restringenda sunt, ne aliquis exinde vagæ libidinis haurire possit patrocinium, id quod fecisse Caligulam testis est Svetonius. c) qui rapta aliena uxore publicè edicebat, *matrimonium sibi repertum exemplo Romuli*. Nec est quod audiamus Canulejum d) nihil petentem nisi conjugium, aut tale quo plebei cum senatoribus miscerentur. Nam præter necessitatem *hybriae* e) & *Gasmulicæ* genus f) ne introducantur in Rempublicam.

a) Augustin. de Civ. Dei lib. II. cap. 17. b) I. Sam. II. c) Calig. cap. 22. d) Liv. lib. 4. e) Sveton. August. cap. 19. f) Beinegg. Quæst. Miscellan. qv. 12. fin.

XVII. Coalescere nunc debebat in unum corpus multitudo, sed non nisi per leges. *Urbs enim velut lyra inusu absq; consonantia*, a) unde autem melior consonantia, quam per leges, quibus continetur & in certas regulas conscripta virtus & ratio vivendi. b) Cogere poterat Romulus populum imperio; sed hoc non utendum, ubi legibus agi potest. c) Imperium videlicet ideo invisum, quia vis est; Lex autem ideo grata, quia à ratione proficiscitur quam quisq; amat. d) Hinc Cicero e) legem describit, quod sit ratio summa insita à natura, quæ jubet ea quæ facienda sint, prohibetq; contraria. Poterat etiam bonis moribus assiduaq; Virtutis consuetudine homines ad obsequium allicere, quemadmodum apud Germanos veteres boni mores plus valebant, quam bonæ leges, f) & apud Scythas, quorum *Iustitia ingenis non legibus colebatur, plus proficiebat vitiorum ignoratio, quam in Græcis virtutum cognitio*: g) Verum quis nescit hominum ingenia, vident meliora probantq;, deteriora sequuntur, h) ergo quo magis boni mores ad malitiam declinare possunt, eò minus leges sanctè custoditæ, corruere possunt, id quod Spartana Respublica Lycurgi legibus per aliquot secula munita satis testatur. i) Leges profecto solæ sunt, quæ neq; gratiæ neq; odio locum relinquunt k) & cum omnibus una eademq; voce loquuntur l) justum etiam inter divites & pauperes tenent æquilibrium, ut illi incolumes habeant suas fortunas, his nulla injuria inferatur, omnes in universum bono publico contineantur. m) Hoc tamen certum, pauciores Romulum promulgasse leges, quam successores, ita quidè ut Tacitus n) dicere non dubitaverit, illum *ut libitum imperitasse,*

Ordinata
per leges, cap. 8

C

non